



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

XIII. Divisis eligentium votis, arbitrium discordiæ referendum est ad Metropolitanum; cuius judicio is præferri debet qui majoribus & studiis juvatur & meritis, ut inquit Leo primus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum que geruntur per unamquamque provinciam Metropolitanum tribuitur Episcopo. Canonem hunc sequuntur & interpretantur Concilium Africanum can. xiiii. & Antiochenum can. xix. quod additum Metropolitanum ea de causa coëpiscopos suos convocare.

XI. Itaque tres ex iis canonibus regulæ colliguntur. Prima est, debere Episcopos provinciae illius in qua ordinandus est Episcopus, ejus electionem approbare, elique consensu suos adhibere; viva scilicet voce, si presentes fuerint; aut per literas, si eos abesse contingat. Secunda, ordinationem à tribus saltem Episcopis esse peragendam. Tertia, firmitatem eorum omnium, id est, confirmationem, five τὸ καταθέτω, ut loquitur Concilium, pertinere ad Metropolitanum. Regula prima & tertia explicantur in canone sexto Nicæno, ubi statuit eum pro Episcopo habendum non esse qui absque consensu Metropolitani fuerit ordinatus. Vnde patet magni momenti visam esse veteribus auctoritatem Metropolitani. Attamen si ille, aut aliis quispiam Episcopus, pertinacia potius quam ratione pugnaret adversus communem sententiam collegarum suorum, ita tamen ut repugnantium numerus duos vel tres non excedat, statuit Concilium obtinere debere sententiam plurimorum. *Obtineat, inquit, sententia plurimorum.*

XII. Decretum electionis scripto fiebat; ut constat ex epistolis Papæ Leonis I. in Actione xvi. Concilij Chalcedonensis descriptis & ex pluribus aliis auctoritatibus. Examen, discussio, judicium, & dein ordinatio, ad Metropolitanum & ad Episcopos comprovinciales pertinent secundum antiquos canones. *Iudicium id, aut confirmatio electionis*, dicitur in canone xxvii. Concilij Antiocheni: *Servetur autem ius ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & iudicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent cum qui dignus extiterit promovere.* Quod autem hoc loco nominatur *Iudicium Episcoporum*, in canone xix. ejusdem Concilij dicitur *decreto ordinarium*; ubi etiam admonetur necessariam esse auctoritatem Metropolitani. Disciplina eadem deprehenditur in canone xii. Laodiceni Concilij, quod etiam iudicij vocem in eadem causa usurpat; *Vt Episcopi ju-*

*dicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circum circa sunt, prævehantur ad ecclesiasticam potestatem.* Magnam orientibus illis Concilis lucem adferunt Canones Occidentis, qui iudicium difficultatum in electionibus contingentium Episcopis permittunt. Canon xli. Concilij iiii. Carthaginensis, qui est quinquagesimus in Codice Canonum Ecclesia Africana, statuit ut si qua contradic̄tio fuerit oborta adversus personam electi, ab Episcopis qui ordinacionem peracturi sunt judicetur. quem locum, ut & plerosque alios canones ad hanc materiam spectantes, in Decretum suum retulit Gratianus *Diss. xxiiii. c.* *Illud statutum est &c.*

XIII. Quod si in plures personas diversa fuerint eligentium vota, censuit Leo arbitrium discordie hujus referendum esse ad Metropolitanum; cuius iudicium is præfernatur in quem major eligentium pars consenserit, habita ratione meritorum ejus. *Cum ergo, inquit, de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus preferatur quem cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita ut si aliam fortius personam partium se vota divisent, Metropolitani iudicium in alteri preferatur qui majoribus & studiis juvatur & meritit.*

XIV. Iustinianus Imp. cùm formam electionis in Novellis Constitutionibus prescripsisset, ea videlicet ratione ut Clerici & cives honorati trium personarum electionem scripto facere teneantur, edicit ut decreto electionis istiusmodi ad Metropolitanum & ad ejus synodum deferatur, ut unus à tribus deligitur. Quod si accusatio quæpiam adversus electum instituta fuerit, eam Metropolitanus intra trium mensum spatium judicare debet, ut deinceps ordinatio peragi possit; hoc tamen addito, ut tota culpa in Metropolitanum rejienda sit, si ea facta fuerit contra Canones. Non licet igitur appellare à confirmatione electionis; nullaque alia ratio suppeditabat ad infringendum confirmationis decreto quād ut Episcopus recens ordinatus depositio poena plecteretur, si justa aliqua causa subfuerit.

### CAPVT III.

#### Synopsis.

I. In Gallia, iudicium electionis & ordinacionis pertinebat ad Metropolitanum & ad Episcopos provincie, ex Leone I.

II. Et ex Concilio Arelatenensi secundo. Regi consensus necessarium esse decernit Concilium Metrianense V.